



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VII. Diuisio Substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

quæ docet Fides: & sicut omnes, quocumque modo tradant definitionem substantiæ, eam definitionem ex Fide applicant substantiæ; ita ego dico ex Fide, substantiam esse complementum primæ radicis, seu rei per se existentis in ratione talis, & in eodem genere, quantumvis ab ipsâ primâ radice incompletâ, id est à naturâ pullulet, unde iam illi conuenit definitio à nobis tradita, id est esse de conceptu primæ radicis seu primæ rei completæ & perfectæ; & sicut forma est complementum in esse substantiæ, & vnio est complementum vtriusque quod ratione naturali demonstratur, ita ex Fide infero, substantiam esse complementum vltimum substantiæ in vltimo genere, ideoque & esse substantiam, nam natura ante substantiam est quidem substantiâ, non tamen perfectâ & integrâ, sicut materia ante formam, & vtraque ante vnionem.

Sed replicabis: Ergo etiam prima passio erit substantia eodem modo, quia erit de conceptu primæ radicis completæ, & integræ. Nego sequelam, quia prima passio v. g. intellectus, iam supponit primam radicem, scilicet naturam: aliunde autem non est ratio naturalis, sicut nec in substantiâ, nec ratio ex Fide, quæ reperitur in substantiâ, ideoque non est cur dicamus esse de complemento primæ radicis in eo genere, sed potius dicamus esse primum quod oritur ex radice completâ in suo esse substantiali, unde erit primum accedens, non verò vltimum complementum substantiale. Hæc apparet mihi clarior substantiæ explanatio: si quis meliorem inuenierit, libenter eam ab illo audiam.

Ex hac explicatione infero, nullam actionem esse substantiam, sed actiones substantiales distinguere ab accidentalibus præcisè, quia per illas producitur substantia, per has verò accedens. Illatio inde suadetur, quia actio omnino est extra conceptum primæ rei, solumque ponitur vt via ad primam rem, & sicut causa efficiens non est de conceptu & substantiâ effectus, ita nec actio quæ producitur; actio enim reducitur ad ipsam causam efficientem. Quod explicatur vterius, quia etsi actio poneretur in agente (vt plures voluerunt, præsertim si sermo sit de creatiua) non ideo res v. g. Angelus esset minus perfectè substantia quam modò. Quod si nos eam actionem in Angelo ponimus, non est quia per eam compleatur, aut constituatur in ratione substantiæ, sed quia nullum magis proportionatum subiectum respectu illius inuenimus. Undeeductiuas actiones non in ipso termino producto, sed in illius subiecto recipi dicimus; ergo actio non est de substantiali complemento sui termini. Tandem confirmo: actio propter se nullo modo sed propter terminum intenditur à naturâ; ergo non est prima res, sed aliquid accedens primæ rei, non quia ordine naturæ sit posterior, cum repugnet, terminum existere ante actionem quæ producitur, sed quia in intentione est vltimum, sicut dispositiones respectu formæ substantialis, ad quam præparant materiam, etiam si sint priores naturâ, sunt tamen intentæ non propter se sed propter formam.

SECTIO VII.

Diuisio Substantiæ.

SUBSTANTIA potest diuidi, sicut & ens, in creatam & increatam, de qua diuisione nihil noui occurrit dicendum. Vterius substantia creata potest diuidi in completam, & in incompletam. Hæc est forma secundum se, materia secundum se, vnio, &c. ita autem totum compositum, ex eis partibus resultans. Diuisio hæc non est rigorosa, quia vnum membrum includitur in alio, ponitur tamen, vt intelligatur diuersitas substantiæ.

reus diuiditur substantia in *materialem* & *spiritualem*, *viuentem* & *non viuentem*, & sic per omnes illas differentias, quæ in arbore Prædicamentali poni solent vsque ad Petrum v. g. quæ diuisio etiam est propria entis. De eius membris, sicut de conceptu rei materialis & spiritualis, viuentis & non viua, dictum est in libris de Anima, ideoque eam in præfati omitimus.

Diuidi etiam solet ab aliis in *vniversalem* & *particularem*, sed hæc extrema non sunt realia, quia non datur à parte rei natura vniuersalis, sed omnes sunt particulares; ab intellectu verò sunt extrinsecè vniuersales per conceptus consulos, iuxta dicta in Logica Disput. vi.

De modo quo substantia à suis inferioribus & membris diuidentibus participetur, & an sit transcendens an non, an vnio an analogâ, dictum etiam est in Logica Disput. xi. dum egimus de Transcendentia & vnificatione entis, de quo eadem est ratio, quantum ad hoc, quæ de substantiâ.

SECTIO VIII.

Quis sit effectus formalis substantiæ.

ADVERTE Primò, Philosophos antiquos ignorasse prorsus substantiam de qua nos, quia huius notitia eruta est ex mysterio Trinitatis & Incarnationis; scimus enim ex hoc, naturam humanam Christi caruisse propriâ substantiâ, ex quo euidenter inferunt, dari in homine vitam naturam humanam, quæ tota fuit in Christo, aliquid aliud quod sit substantia, quo caruit humanitas Christi, & cuius loco habuit diuinam substantiam. Ex homine autem philosophamur ad omnes alias substantias creatas, de quibus eadem videtur esse ratio. Hoc posito, antequam alias quæstiones de substantiâ examinemus, primò disquirendum est, quis sit substantiæ formalis effectus, vt ex eo possimus inferre, quomodo distinguatur, & in quibus rebus ponenda sit.

Aduerte Secundò, substantiam esse genus, & ad personalitatem & ad meram suppositiuitatem. Suppositiuitas mera, propria est naturæ irrationalis, personalitas verò est propria naturæ rationalis. Vbi obserua, eandem substantiam comparatam cum diuersis naturis, posse esse personalitatem, aut suppositiuitatem meram, vt. g. si substantia Verbi vniretur (vt potest) cum celo, vel leone, non constitueret tunc cum illo personam, sed merum suppositum; vnita autem cum humanâ naturâ, constituit personam. Hoc posito, Tri-